ues & glacies palis iuniperi. Hospitia quoq; erigunt tribus aut quatuor palmis, à glacie elata, ut ab æstuarijs non dissoluatur glacies, aut clibanis: nam adeò durescit glacies, ut duorum digitorum crassitudine hominem sustineat: trium autem equitem armatũ palmi & dimidij, turmas: quatuor palmorum, integrum exercitum.

Itinera per mare cõgelatum quomodo dirigantur. Glacici duri-ties mira.

Antiquo tempore sub aurora comedebant aristum, pane & uino solo: inde ientaculum: pòst dipurum hora prandij, sed sera: & dorpum, seu cœnam. Mensæ in conuiuio perpetuò paratæ astabant. In cœnas, carnes bouillas assatas, & panem solùm edebant: inuitabant se poculis, & obsoniorũ partib. Alij uerò, & pisces & reliqua comedebant.

Antiquorũ mos de horis capiendi cibi.

LINGVARVM VARIETAS.

CAPVT XCV.

OMNIBVS linguis hoc unum cõmune est, ut res habeãt, & affectus: res quidem nominibus significant, uelut lignũ, lapis, ferrum: affectus uerò uerbis, uelut secare atq; amare: quædã etiam qualitates horũ decernunt, ut uehementer, celeriter, quæ partim aduerbijs, partim præpositionib. significantur. Ortus uerò earũ ut posterior ex priore, atq; ex mixtione, quemadmodũ etiã in naturalib. Generaliter autem, asperior lingua etiã ferociorib. gentibus cõuenit, & minus ordinata rudioribus. Est etiam commune linguis omnibus, ut initium elementi uim eius ostendat, præterquã in Latinis: nã delta & daleth, D significant, excipitur aleph & ain: at uerò apud Latinos e f nõ E, sed F profertur, ut fa. Est etiam generale hoc, ut quædã literæ ubiq; congruant, quædã non, ut F & G in latina fini: alijs locis omnes cõueniunt. At reliquæ linguæ & principio

& medio habent quæ congruant, & quæ non, non tamen omnes: nam in Græca admittuntur omnes in medio, tum etiã principio. Vocales quoq;, & mutæ, & liquidæ, & consonantes, & diphthongi, cõmunes sunt elemẽtorum affectus, maximè in Latina atq; Græca: tum unum scribi, aliud proferri, ut apud Latinos T pro C, & apud Græcos Γ ante K. Et quædã sunt mobiles, aliæ stabiles. Propriũ orientalibus est, ut punctis literæ atq; dictiones immutẽtur: illorum loco Græci characteres habent, ut χ pro γὰρ: & Latini quos uocant titulos. Sunt & articuli Græcis uelut ὁ, τῆ: Latinis hic, huius: Arabibus, al præponitur plerisq; dictionib. Sed Græci etiam postpositiuos articulos habent, ut ὅ pro τῦ, conuenit autẽ Græca magis Italicæ maternæ in articulis præpositiuis, quàm Latinæ: in postpositiuis autẽ neutri. Communis etiam est collisio uocalium, cũm una alteram sequitur: sed in Latina non, nisi in carminibus: in Græca & Italica materna, generaliter, sed non semper: generalius tamẽ in Italica, s communis litera, in quam plura nomina desinunt Latina & Græca, ut ferè propria omnia: inde m, & apud Græcos ν & ς. Verba autẽ Latina, o uel r: pleraq; Græca in ω uel ου diphthongũ: Arabicorum nominũ finis plerunq;, un uel u: in quam literã desinunt uerba futuri temporis. Conuenit Arabica cum Græca, quòd tres numeros habeat: duos tantùm Latina atq; Italica. Sunt & tempora cõmunia, sed Græca plura habet: sunt iterum modi, sexus, & uariationes personarũ & casuũ. Sunt & in uerbis differẽtiæ actionis ac passionis. Sunt & adiectiua et substãtiua in nominibus. Indica uocalibus caret, punctisq; utitur uocaliũ loco. Armenica Græcæ, uelut Hebræa Indicæ conformis est, sed multo magis: est enim Armenica Græca parũ immutata. Habent præterea orientales literas multas duplicatas: quoniã quædam

dam molliter, quædã durius proferãt. Sunt & linguæ Tzeruiana ex Mysia olim, et Græca materna, similes Græcæ antiquæ, ut Italica nostra Romanæ. Tzeruiana tamẽ XXX elemẽta habet, Græca uigintiquatuor, Latina nouẽdecim: nã K, litera apud nos nõ est, H aspirationis nota, Z barbara, Y Græca: reliquæ tres cõpositæ, nõ simplices literæ. Dalmatica XXXII habet elemẽta, et cõmunia partim Græcis, partim Hebræis. Id uerò cũ Hebræis propriũ, ut singulæ literæ aliquid significẽt. Est etiã alia Armenica lingua cõmunis, trigintaocto habẽs elemẽta. Omniũ igitur differentiarũ causa, fuit affectus animi, atq; necessitas affectib. subiũcta. Cõuenit plurimũ Hebræa cũ Indica (ut dixi) atq; Arabica. Velut An Indicè & Hebraicè, Ani Arabicè, significat ego. Itẽ Indicè & Hebraicè Col, Arabicè Caul, idẽ quod apud Latinos uox significãt: unde origo linguarũ atq; affinitas dignosci potest. Sic Græcis atq; Latinis, ut μόρμωρ murmur. Arabes discrimẽ in uerbis habẽt sexus, uelut & in nominib. carent q; in nominib. neutro, cuius loco fœmmino sexu utũtur. Aethiopica porrò Chaldæa pars est, ac quasi eadẽ: Chaldæa autem ipsa Hebraicæ affinis. Dictiurus ergo plura de his essem, ni ut mare linguæ perpetuò fluctuarent, atq; loco dimouerentur: at tractatio hæc solũm de æternis est.

VRBES, RES'QVE ALIÆ INSIGNES. CAP. XCVI.

ALIAS dixisse recordor, quæ ciuitates nunc maximæ sint: at nunc quæ fuerint, primũm dicere propositum est. Hæ igitur fuêre Roma in Italia, Alexandria in Aegypto, Antiochia in Syria, Byzantium in Thracia, quã etiam Constantinus mirum in modum auxit. Ciuitates olim maximæ.

Suns